





PA 4444  
.W5  
Copy 1

DE  
GENERIBUS DIVERSIS  
CARMINUM THEOCRITEORUM  
ET  
LOCO QUODAM IDYLLII XVIII DIFFICILIORE.

*Augustus Täger*

---

81669

HILDESIAE.  
TYPIS GERSTENBERGIANIS.  
MDCCLXXIV.

PA4444  
.W5

## De generibus diversis carminum Theocriteorum et loco quodam idyllii XVIII difficiliore.

Carmina omnia, quae jure Theocriti habentur, saepissime quattuor generibus concluduntur, quorum primum carmina bucolica et mimica, alterum epica, tertium lyrica, quartum denique epigrammata comprehendit<sup>1)</sup>. Multi aliter distribuerunt<sup>2)</sup>, nos illam distributionem ut aptissimam tenemus. Continent autem plerumque libri Theocritei triginta idyllia, viginti quinque epigrammata. Omnia haec carmina Theocrito adscribenda esse, nemo jam hac aetate contendit; immo magnam eorum partem per errorem quendam in libros manuscriptos irrepsisse existimandum est. Quae vero pro dubiis et spuris habenda sint, adhuc res in ambiguo versatur<sup>3)</sup>, gravissimis certe argumentis verisimile fit, idyllia XIX, XX, XXI, XXIII, XXVII, XXX, praeterea epigrammatum laud exiguam partem a Theocrito profecta non esse. De his carminibus, quae etiam nos ab tota hac quaestione sejunctimus, alius fortasse erit disserendi locus, nunc quid de diversis carminum Theocriteorum generibus statuendum sit, paucis ostendamus.

Primum igitur dicam de mimicis et bucolicis Theocriti carminibus, quae ut recte intellegamus, altius repetendum videtur. Traditum nobis est, jam antiquissimis temporibus apud Siculos et finitimas Italiae gentes genus quoddam poseos mimicum floruisse, cantilenas illas scurrarum sive *γελαιοποιών*, qui carminibus ex tempore compositis audientium animos oblectabant<sup>4)</sup>. Inculto hoc carminum genere inprimis autem Sicili insignes erant, inter quos quinto saeculo Epicharmus ille comaediam invenisse dicitur<sup>5)</sup>. Verum summam in hoc genere Sophron gloriam consecutus est, cujus *μίμοι* etiam a Platone collaudantur. Hos ita instituerat, ut dialogi forma et oratione adhibita soluta, cui numerum quandam

1) Cf. Ad. Theod. Herm. Fritzsche, Theocrits Idyllen, Einl. S. 3.

2) Distributionem Henr. Carol. Eichstaedt: Adumbratio de carminum Theocriteorum ad genera sua revocatorum indole ac virtutibus, Lipsiae 1794 — distribuit autem omnia carmina in carmina bucolica, carmina mimica, carmina vari argumenti — propterea potissimum falsam esse judico, quod carmina bucolica et mimica tam arte cohaerent, ut discriminari nullo modo possint, reliqua autem carmina tantum habent diversitatis, ut ad unam omnia referre classem ac veluti familiarum minus aptum videatur.

3) Videantur inter alia, quae de hac re disputavit initio hujus saeculi Ernestus Reinhold: De Theocriti carminibus generis et suppositicis, Jenae 1819.

4) Hanc consuetudinem etiam posteris temporibus in usu fuisse, docet Hor. Sat. I, 5, 51, quocum cf. Plat. Legg. I, pag. 637 B., Bode, Gesch. der hollen. Dichtk. 3, pag. 96.

5) Cf. Theoc. Epigr. XVII: *Αε γὰρ ἄ Λόκρος γὰρ ἦρ ὁ εἰς κωμῳδίαν  
ἐὺθὺς Ἐπίχαμος.*

addidit, vitam moresque plebis depingeret et mox jocis delectaret, mox gravioribus verbis ac sententiis uteretur. Hos igitur mimos Theocritum non solum imitatum esse, sed ipsa quoque mimorum quorundam argumenta inde transsumpsisse, ipse Schol. ad Theocr. id. XV his testatur verbis: Παρέλασε δὲ τὸ ποιημάτων (sc. id. XV) ἐκ τῶν παρὰ Σόφροσι Θεμίων τὰ Ἰσθμια. Eo quoque referenda sunt verba haec carmini secundo, quod inscribitur *Φορμαζεύτεια*, praenissa: Τὴν δὲ Θεοτύλιδα ὁ Θεόκριτος ἐπιποικίλας ἐκ τῶν Σόφρονος μετένευε μίμων. Haec ipsa autem imitatione, quanta Theocriti virtus atque ingenitas fuisse videatur, perspicui potest. Nam cum Sophron sermonem hominum vilioris conditionis cotidianum totus sequebatur et orationem solutam usurparet, Theocritus hos rudes, ut ita dicam, mimos ita ad id, quod assequi voluit, accomodavit, ut et dialectum ipsam excoleret polietrique et versus hexametrum adhiberet. Id quanta cum arte factum sit, optime id. XV cognoscitur, quod carmen cum ob veritatem, quae mulierum indoles moresque describuntur, tum ob rerum varietatem et qua Ptolemaei regis et Arsinoes reginae laudes admiscerunt elegantiam ad unum omnes viri docti ita laudibus cumularunt, ut his plura addere supervacaneum sit. Huic carminum classi praeterea subiicienda sunt idyllium II et idyllium XIV, quorum illud Vergilius expressit ecl. VIII inde a versu sexagesimo quarto, hoc ad Sophronis mimorum exemplum composuisse Theocritus videtur. Declarant id omissis aliis non solum personae quae inducuntur, sed etiam earum mores ac vitae ratio, inprimis autem creberrimus proverbiorum usus, quae Sophron ubique mimis suis immiscuisse dicitur<sup>6)</sup>.

Haec hactenus de mimiciis. Paulo copiosius de carminibus bucolicis dicendum est. Totam autem rem optime sic institui arbitror, ut primum quid potissimum discrimini intersit inter carmina bucolica et mimica paucis ostendamus, tum ea quae nobis de origine eorum tradita sunt, quam brevissime absolvamus, denique quomodo a Theocrito tractata sint, accuratius agamus. Adnumeranda autem iis sunt id. I — id. XI, excepto id. II, quod jam mimiciis attribuimus.

Discrimen omne inter carmina bucolica et mimica hoc videtur esse, ut carminibus mimiciis hominum inferiore loco natorum mores dramatica ut ita dicam imitatione exprimentur, bucolicis pastorum vita ac fortunae describantur et in eo potissimum poeta versetur, ut quid agant et quibus inter se carminibus certent, velut ante oculos nobis collocet. Totum igitur discrimen in personarum commutatione cernitur. Quam ob rem cum tot habeant similitudines, opinionem illam carmina bucolica, ut novum quoddam poseos genus, inventa esse a Theocrito credentium, a recto aberrare puto. Immo vero hoc dicendum est, ejusmodi cantica jam Theocriti aetate in populi, inprimis autem in pastorum ore viguisse, Theocritum vero haec ipsa carmina inculto quodam modo composita ad certas leges poeticas revocasse, praesertim cum ex iis, quae de poetis illis Siculis ac Tarentinis memoriae tradita sunt, Epicharmum dico, Sophronem, Rhithonem *ἀνεκκογάρφον*, quamquam carmina ipsa interierunt, tamen hoc certissime apparere videatur, multum jam ab iis collatum fuisse ad excolendam poesin bucolicam. Quid igitur mirum, illis temporibus etiam apud alias gentes, ut in insula Co, haec poesin floruisse? Hinc initia quoque carminis bucolici quae fuerint, veteres ipsi diversissime narrant<sup>7)</sup>.

Multi originem ejus Lacedaemone quaerunt. Nam Persarum bello Graecis omnibus summo metu percussis, cum festum Dianae Caryatidis instaret et virginis, quibus sacra de more facienda erant, urbe egredi non auderent, pastores ad templum accedentes sacra fecisse deamque suis carminibus celebrasse memorantur, quae carmina cum valde placuissent, inde ab illo tempore servata sunt. Alii primum id apud Tyndaritanos in Sicilia in consuetudinem venisse tradunt. Orestes enim surreptum ex Seytharum terra Dianae simulacrum cum oraculo septem rivis ex uno fonte effluentibus lavare juberetur, Regium profectus ἐν τοῖς διαχώροις qui dicebantur ποταμοῖς scelus abluit. Tum Tyndarum se contulit ibique

<sup>6)</sup> Cf. Demetrius de elocut. §. 157: ἡρόδοτὸς πείσας ἐκ τῶν δραμμάτων αὐτῶν τὰς ποιήματις ἐπέλεξε ἴσως.

<sup>7)</sup> Cf. Donat. Vita Verg. c. XXI.

rustici deam canticis suis coluerunt, ex quo tempore hic usus ortus est. Tertia postremo hujusce rei fabula haec est. Syracensis discordia magna olim inter cives exorta multisque jam interfectis, cum tandem reliqui pacem confirmassent, Dianam, cujus beneficio restituta esse amicitia videbatur, donis prosecuti, laeti rusticis carminibus pastores canebant, quae res in dies magis pernotescens usu paulatim recepta mansit. Haec fere de origine carminis bucolici memorantur. Tres autem hae fabulae in eo omnes conveniunt, ut ab hominibus rusticis aut pastoribus carmina illa cantata et in Dianae honorem, cujus festum semel in singulis annis agebatur, celebrata fuisse consentiant. Utrum vero ex Sicilia an Lacedaemone originem duxerint, veterum quae commemorantur testimonia in contrarias partes discedunt. Monet igitur res ipsa, ut etiam apud alias gentes hanc poesin floruisse arbitremur. Quod autem in tali re fere fieri solet, ut nonnulli potissimum homines summis laudibus efferant, quod primus majore quadam arte usus sit, id etiam in hac re evenisse videas. Notissimae sunt fabulae illae Siculorum, quae partim Daphnidi, partim Diono euidam hanc gloriam impertiunt. Cf. Athen. XIV, pag. 619 A: ἦν δὲ καὶ τοῖς ἡγονιμίοις τῶν βοσκμάτων ὁ βουκολιαμὸς καλούμενος. Δίμος δὲ ἦν ὁ βουκόλιος Σικελιώτης ὁ πρῶτος εὐρὼν τὸ εἶδος μνημονεῖν δὲ αὐτοῦ Ἐπίλαμος ἐν Ἀκρόνι καὶ ἐν Ὀδυσσεὶ ναυαγῶ, et quod Diodorus Sic. IV, 84 de Daphnide affert: φῦσαι δὲ διαφόρῳ πρὸς εὐμέλειαν κερσορηγμένον ἔξευθεν τὸ βουκολικὸν ποίημα καὶ μέλος, ὃ μέχρι τοῦ νῦν κατὰ τὴν Σικελίαν διαμένον τεργάνει ἐν ἀποδοχῇ<sup>8)</sup>.

Jam quomodo haec carmina instituta fuerint, hoc potissimum inde colligas, quod Theocriti scholiastes quidam de hac re commemorat, cujus totam narrationem, ut exscribere longum ac supervacuum videtur, ita omnino silentio non praetermittam. Pastores enim festis quibusdam diebus in agros descendebant urbesque ingressi in omnium conspectu carminibus suis inter se certabant<sup>9)</sup>. Qui certamine superior discessit, in urbe mansit; reliqui autem per vicus mendicabant, versus hos cantantes<sup>10)</sup>:

Δίξαι τὰν ἀγαθὴν τύχην,  
δέξαι τὰν ὑγίειαν,  
ἂν φέρομεν παρὰ τὰς θεοῦ,  
ἂν ἐκέλυσσο τήνα,

quibus versibus cantandi hinc morem gregibus salutem ferre significatur. Ex omnibus igitur iis, quae adhuc attulimus, carmina bucolica artissime cum deorum cultu ac religionibus cohaerere et jam antiquissimis temporibus per Siciliam vulgata fuisse, plane cognoscitur. Quae cum ita sint, etiam usque ad Theocriti tempora multa ex his canticis permanasse existimandum est, cum praesertim in duobus tribusque ejus idylliis manifeste quae ad illa referenda sunt vestigia reperiantur. Sufficit hoc loco threni illius in Daphnidis mortem<sup>11)</sup> mentionem fecisse, quod carmen totum ad vetusta illa cantica adumbratum esse omnes viri doctissimi consentiunt<sup>12)</sup>.

In his autem carminibus ex populi vita ac consuetudine, ut ita dicam, veluti depromptis magna certe inerat vis poetica, quae nescio an maxime Theocritus ad has imitationes impulsus esse videatur. Nam oppressa ad Chaeroneam Graecorum libertate in dies magis a vita poesis recesserat, Alexandriae autem inprimis multi tum exstiterant ut summa insignis doctrina ac scientia, ita paene sine omni ingenio ac laude poetica, quorum carmina, cum doctrinae potissimum speciem sectarentur, si cum reli-

<sup>8)</sup> De Daphnide cf. praeterea Parth. Erot. 29; Aelian. Var. Hist. 10,18; Welcker. Jahns Jahrb. für Phil. 1829, p. 284; Hauler, de Theoc. vita et carm. Friburgi Brig. 1855, pag. 43.

<sup>9)</sup> Cf. Ad. Th. H. Fritzsche, de poetis Graecorum bucolicis. Gissae 1844, p. 13; J. Hauler, de Theoc. vita et carm. p. 43.

<sup>10)</sup> Cf. Schol. Theoc. ed. Dübner p. 1.

<sup>11)</sup> Cf. id. I, 64 sqq.

<sup>12)</sup> Videantur J. P. E. Greverus: Zur Würdigung, Erklärung und Kritik der Idyllen Theocrits, Oldenburg 1850, p. 26 et Finkensteinius: Arethusa p. 8.

quorum Graeciae poetarum coutuleris, quanti aestimanda sint, pefacile cognoscas. Magna igitur Theocritolans tribuenda est, quod ad pristinam simplicitatem rediens id ipsum genus poeseos tractandum sibi elegit, quod tum certe aptissimum fuisse, aequalium studia et imitationes docent. Primus igitur Theocritus carneu bucolieum artificiosius quodammodo tractavit idemque ita perpolivit, ut nemo unquam eum non modo non superasse, sed ne adaequasse quidem videatur. Hoc quibus potissimum auxiliis assecutus sit, paucis ostendatur.

De Theocriti carminibus bucolicis quid iudicandum sit, si recte discernere velimus, id maxime cavendum videtur, ne quid poeta his carminibus exprimere voluerit, falso accipiamus. Namque non eo composita sunt consilio, quo legi hac aetate expetique Gessneriana cupidissime solebant, ut intuenda pastorum conditione beatae simplicitatis iacturam consolemur, sed id unum poeta propositum sibi habet, ut lectoribus in ipsam actionem deductis pastoritiae vitae accuratam imitationem exhibeat et ita depingat, ut dum legit rebus ipsis interesse ipsosque pastores in montibus cum gregibus ambulantes cernere, cantibusve suis inter se certantes quasi exaudire sibi videantur. Itaque adumbranda huius vitae simplicitate tantum abest, ut lectorum mores corrigere, ut potius animos eorum oblectare velit<sup>13)</sup>. His de causis a recto aberrasse puto viros doctissimos Arethusae auctorem Finkensteium (pag. 39) et Rosenkranzium (Die Poesie und ihre Geschichte, Koenigsberg 1835, pag. 207), qui ethicas poetam rationes secutum esse arbitrantur. Haec igitur re, ut veritatem et quasi quandam carminibus suis alacritatem addidit, ita summam suavitatem insertis cantibus pastorum assecutus est. Respondent enim iis quae aguntur tanta cum simplicitate, ut nihil aptius, nihil locis aut actionibus magis consentaneum a cantibus afferri potuisse credideris.

Accessimus jam ad metrum in his carminibus a Theocrito adhibitum. Excepto autem id. VIII inde a versu 33 ubique versus hexameter usurpatus est, qui versus unum solum usu maxime receptus, sed etiam cum canticis illis Siculorum vetustis artissime conjunctus fuit<sup>14)</sup>. Id plane ex versibus illis, quos supra (pag. 5) attuli, perspicias, quorum quidem versus III et IV in unum versus contracti totam fere versus hexametri formam imitantur. Hinc quoque videtur esse caesurae post quartum dactylum usus, quae caesura tam saepe apud Theocritum occurrit, ut bucolica a grammaticis appellata sit. Haec caesura totum versum in duas partes ita distribuit, ut secunda pars brevior partem antecedentem quasi resonare videatur. Libentissime propterea post hanc caesuram a Theocrito primum versus vocabulum repetitur, veluti id. I, 64: Ἀρχετὲ βοῦκοικῆς, Μοῖσαι φίλαι, ἔρχετ' αἰοῖδᾶς, et ibid. v. 127: Ἀρχετὲ βοῦκοικῆς, Μοῖσαι φίλαι, λήγετ' αἰοῖδᾶς, quocum conferas Vergilii imitationes ecl. VIII, 61: Desine Maenalis, jam desine, tibia versus, ibid. v. 68: Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim, ecl. X, 11: Nam neque Parnasi vobis juga, nam neque Pindi ulla moram fecere etc. Ex Theocrito praeterea cf. id. I, 66—67: πᾶ ποτ' ἄρ' ἔσθ', ὅκα Λάφνης ἔτακτο, πᾶ ποκα Νύμφαι; ἢ κατὰ Πηνειῶ καλὰ τέμπλα, ἢ κατὰ Πίνω; et id. IX, 7—8: Ἀδὺ μὲν ἂ μοσχορ γαρύρετα, ἀδὺ δὲ χά βῶς, ἀδὺ δὲ χά σφραγῆ, γλώβουλόος, ἀδὺ δὲ κήρών.

Hiatus hoc loco propterea facile admitti potest, quod non solum interpunctio, sed etiam ipsa caesura uoram quandum recitanti interponit. Videantur primi idyllii v. 67, quem modo laudavimus, et idyllii secundi v. 154: ταῦτά μοι ἂ ξείνα μνησάστο' ἔστι δ' ἀληθής. Nec Homerum hoc loco hiatus omnino recensasse, docet inter alia exempla Od. XVII, 301: δὴ τότε γ' ὡς ἐνόησεν Ὀδυσσεύς ἐγγὺς ἰόντα. Aliud quoddam huius caesurae proprium in eo cernitur, ut ant post secundi versus antecedentis initium repetatur veluti id. I, 1—2:

Ἀδὺ τι τὸ ψευδόμεμα καὶ ἂ πίτυς, αἰπόλε, τήνα  
ἂ ποτὶ ταῖς περγαῖοι μελλοεται, ἀδὺ δὲ καὶ τὴ κίλ,

<sup>13)</sup> Cf. Fritzsche, Theocrits Idyllen, Leipzig 1857. Einleitung S. 10.

<sup>14)</sup> Cf. Fritzsche, de poet. Graec. bucol. p. 19 sq.



quocum conferas ibid. v. 80—81: ἦρθον τοὶ βοῦται, τοὶ ποιμένες, ὀπλοὶ ἦρθον' πάντες ἀνηρώτων τί πάθει κακόν' ἦρθ' ὁ Πηλεΐδος κτλ., quod Vergilius imitatus est ecl. II. 14—15: nomine fuit satius . . . ? nomine Menalcan? et ecl. X. 19 sqq. (venit — venit), aut ut secundus versus eodem quod prioris caesurae sequebatur vocabulo incipiatur, quod id. I. 100—101 reperitur: . . . . . Κύπρι βαρεῖα, Κύπρι νηυσσατά κτλ. Similiter Bion I. 7—8: Κάϊται καλὸς Ἄδωνος ἐν ᾧρεσι μῆρον ὀδόντι, Ἀενκὸν μῆρον ὀδόντι κτλ. et Vergilius ecl. VIII. 7—9:

. . . . . en erit inquam

ille dies, mihi dnm liceat, tua dicere fata?

En erit, ut liceat?

Quartus pes caesura bucolicae antecedens saepissime dactylum habet, nec tamen spondem auxie hoc loco a Theocrito vitatum esse crediderim. Aliter quidem iudicarunt Valekenarinus et D. Heinsius, viri et sagacissimi et de Theocriti carminibus optime meriti, qui id. I. 6 omnibus invitis singulis versus pro κρης reposuerunt, tum ut versus esset instar vicinorum bucolicus, tum ut hoc quoque loco suo more poeta scripsisse videretur. Hanc sententiam secuti sunt Brunck, Dahl, Schaefer, Jacobs, Ahrens. κρης primus recte ut videtur Kiesslingius restituit; idem etiam id. I. 130: ἐς Ἄϊδαν ἔλαομα ἦδη, quod optimi libri mss. praebent, pro Ἄϊδος retinuit<sup>15)</sup>.

Ex canticis vetustis Siculorum etiam versus illi qui vocantur intercalares seu παρεμβεβλημένοι depropti sunt, de quorum versuum iteratione egregie disputat Eichstadius V. Exc. in Questionum philologicarum specimine c. 4, praeterea Ad. Th. Herm. Fritzsche, de poet. buc. pag. 20 et Ahrens, de ephymniis bucolicis in Bionis Epitaph. Adonidis, ed. H. Lud. Ahrens, Lipsiae 1854, pag. 29. Intercalares autem dicuntur, quod certis quibusdam locis idem semper versus repetitur, cuius rei apud Theocritum bina omnino exempla exstant, id. I: Ἀρχεὶ βοηλοκλαῖς, Μοῖσαι φίλαι, ἄρχε' αἰδοῦς et id. II: Ἴν' ἔξ, ἔλκε τὸ τῆρον ἔμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα. Plura videantur apud Bionem I. 6, 15 sqq., Moschum III, S. 13 sqq., Vergilium ecl. VIII, 42, 46, 79, 84 sqq., Catullum LXII, 5, 10 sqq., LXI, 4—5, 39—40, Ovid. Heroid. IX, 146, 152, 158, 163 sqq., Ovid. Amor. I, 6, 24, 32 sqq., quorum imitationes hoc loco exscribere longum est. Cognoscimus autem intercalari hoc versu carmina in parvas strophas distribui, quas ubique pares sibi esse expectamus. Nec tamen hoc semper a poeta factum est. Namque ut in idyllio Theocriti secundo certa ratio, quam singulae sequuntur strophae, facillime perspicitur, versus enim 61 non geminis est, ita in idyllio primo talis lex non quaerenda videtur esse. Doctissimi viri jam summo studio in hac re versati sunt, sed omnes eorum conatus, ut certum ordinem versuumque parem numerum restituant, relicta codicum fide ita inter se dissentiunt, ut magis illi viri, quid ipsi acumine ingenii valerent quam quid verum esset, demonstrasse videantur. Nec illud sane neglegendum est, licentiam hanc ex ipsa threni vehementissima commotione fortassis emanasse ipsumque poetam certum ordinem sequi omnino non voluisse.

Nonnulla carmina ita sunt composita, ut aut terni versus (id. III), aut bini versus hexametri (id. V, VIII, X), aut bina disticha elegiaca (id. VIII inde a versu 33 usque ad versum 61) singulis strophas amplectantur. Haec distributio inde potissimum oriens, ut ad proportionem quandam carmina referantur, manifestissime docet, quanta cum fide vetusta illa cantia poeta secutus esse videatur. Siciliae pastores carminibus amoebeicis inter se certare solitos esse, jam supra brevi commemoravimus. In iis carminibus haec est praecipua lex, ut praecedentibus insequentia respondeant, quique secundo loco cautat majore elegantia verborumque ornatu adversarium superare studeat. Simul non solum cogitationum, sed etiam verborum concinnitas quaedam eluceat, et utriusque cantantium tantundem versus attribuatur

<sup>15)</sup> Cf. id. VIII, 13.

neesse est, quod quanta cum arte Theocritus adhibuerit, maxime ex id. VIII inde a versu tricesimo tertio cognoscitur.

Haec fere sunt, quae de carminibus bucolicis et mimicis in universum admonenda habeant. Restat ut paucis de dialecto dorica disseram, qualem in his idylliis Theocritum usurpasse arbitremur. Occurrit enim non eadem semper dialecti doricae forma, sed duplex ejus genus accuratissime discernendum est; alterum in iis quae adhuc tetigi carminibus, alterum in nonnullis epicis et uno lyrico (id. XVIII) exstat. Quod qui prae aliis cognoverit, duo laudandi sunt viri doctissimi, Fridericus Jacobs et Ernestus Fridericus Poppo, quorum hic in Prolegg. ad Thucyd. Tom. I, pag. 253, ille in Praefatione ad Anthologiam Palatinam, pag. 43 gravissime de hac re disputarunt. Est autem in carminibus bucolicis et mimicis, cum vulgarium hominum sermones vitamque Theocritus nobis exhiberet, dialectus dorica durior et asperior, quam Siculam vel Syracusanam dixeris, talis certe quae non multum aberat a Siculorum usu et consuetudine. Attamen in hac re multum differt a Siphrono, qui ubivis ipsam plebis vulgarem dialectum sequebatur. Theocritus autem non ubique in iisdem idylliis constanti utitur dialecti forma, sed prout soni in proximis verbis gratia et suavitas moneret aut orationis etiam genus suaderet, formas minus severas et vulgares omnino non dubitavit usurpare. Quod cum permultis exemplis a nobis firmari possit, haec attulisse sat esse opinamur. In id. II, 114 legitur *ἔφθασα*, forma communis, in versu proximo *ἔφθαξα*, forma dorica, utraque forma metri ratione satis defensa. Simili, sed non pari licentia Pindarus, qui Pyth. X, 94 *ἔναξες*, Pyth. XI, 36 *ἔνασσα* habet, similem licentiam dico, quod loci ex diversis carminibus petiti sunt. In id. VIII tres ejusdem verbi formae nobis obviam fiunt, *λῶ* sive *λῆμι* (v. 6), *θῆλω* (v. 7) et *ἰθῆλω* (v. 29). In id. I, 36 est *γαῖσα*, v. 95 *γαῖσοισα*; in id. VII, 78 *εὔρεα λάναξ*, at versu 81 *κέρρον ἐς ἄδειαν*. In id. II, 78 recentiores omnes praeter unum Meineke *ῆς* dederunt ex conj. Toupii ob versus 92 et 124, in quibus *ῆς* scriptum exstat. Recte vero egisse putandus Meineke, nam *ῆν* ipse poeta videtur posuisse ob sequens vocabulum *ξ* (*ξανθοτέρα*). Hoc igitur teneas velim, multis locis poetam forma dorica utrum aptior esset an forma communis mollior, accuratissime perpendisse. Legebatur vulgo id. XV, 2: *ῶρη διάρρον, Ἐδύνα, αὐτῆ*, quod nuper ab Ahrensius e conjectura in *αὐταί*, formam *δωρικωτάτην*, commutatum est. Fritzschius autem formam atticam *αὐτῆ* optimis libris satis nunitam recte demum restituit. Quamquam enim carmen quintum decimum totum est *μυητικόν* et formae doricae librorum consensu praefereandae sunt, tamen nostro loco formam *αὐτῆ* consulto a poeta usurpatam esse crediderim. Praxinoa enim servam sellam apportare jubens urbanum sermonem imitatur ob eamque causam elegantiori forma attica *αὐτῆ* utitur. Sunt praeterea loci, quibus, si optimos libros manuscriptorum sequimur, aut soni suavitate causa veluti id. VIII, 46 *αμύνηα*, id. XV, 149 *ἀγαπητέ*, id. VII, 69 *μεινιμῆνος*, aut ut maerorem quandam exprimeret, dorico a Ionum *η* clarum et acutum Theocritus praetulisse videatur, cf. id. II, 55, ubi forma jonica suavissima *Αλαί ἔπος ἀνηγέ* optimis libris defensa eam vim habet, ut puellae lamentationes quasi auribus nostris exaudiamus. Hinc etiam ibid. v. 38 *ῆνιδε, σιγῆ* restituendum est et v. 64 *μούνη*, ubi Ahrensius ex conj. Valckenariaua *μόνα* legendum putat. His exemplis, quibus perfacili negotio plura addere possum, quamquam manifestissime majore quam recentiores aliquot critici concesserint, in adhibendis doricae et communis dialecti formis Theocritum usum esse licentia declarant, tamen lex illa non tollitur, libris optimis addicentibus doricas formas in textum revocandas esse.

Verum haec haectenus. Dicendum jam de reliquis carminum Theocriteorum generibus, de quibus quam brevissime absolvam. Ac primum pauca de epicis monere liceat, quae maximam partem juvenili studio a Theocrito composita esse pro certo habendum videtur. Comprehenduntur autem haec classe omnino septem carmina: id. XIII, XVI, XVII, XXII, XXIV, XXV, XXVI, quae quamquam in epicis argumentis versantur, tamen multis locis proxime accedunt ad carmina bucolica. Ipsa si accuratius discriminare velis, duo facile genera constituas, quorum primum nullam praebet explicandi difficultatem,

dico carmina XIII, XXII, XXIV, XXV, XXVI, ad veteres illos hymnos ac fabulas expressa, alterum duo carmina enconia in Hieronem et Ptolemaeum Philadelphum continet (id. XVI, XVII), in quibus, ut recte quid poeta exprimere voluerit intellegamus, id praesertim cavendum est, ne vel tenuissima vestigia parum diligenter persequamur. Verum totum hoc, quod non nisi excussis singulis carminibus explicari potest, ut ad consilia nostra nihil pertinens nunc quidem missum facio, cum id potius mihi tractandum susceperim, ut de epicis his carminibus quid omnino iudicandum esset paucis demonstrarem. Ac dialectum quidem verbo tetigisse sufficit. Exceptis enim id. XIII, quod eandem doricae dialecti formam quam carmina bucolica habet, et id. XXIV et XXVI, quae dialectum doricum tenent ad ionicam nonnihil temperatam, in reliquis omnibus epica dialectus est, sed non usquequaque Homerica, sed in eam formam commutata, in quam praeexistentibus aliis epicis Alexandrinorum aetas convertit, quod qui accuratius pernoscere velint, ei legant egregiam illam Naëckii disputationem ad Choerili fragmenta pag. 69 sqq. Hinc quoque factum est, ut carmina haec epica Alexandrinorum vitia nonnulla vel soloecismos traxerint. Eo inprimis referenda est in pronominum possessivorum usu mira Theocriti licentia. Sunt autem haec pronomina *σφέτερος*, *σφωίτερος*, *σφῶν*, *ἐός*, quorum *σφέτερος* triplici significatione adhibetur ita quidem, ut pro *ἐμός* aut pro *ὑμέτερος* aut pro *ἐός* promiscue ponatur. Primi usus exemplum exstat id. XXV, 163, ubi prouti verba nunc leguntur: *εἰ σοῦ περ* (emend. Ahrens.), *σφετέροισιν ἐν ἄρεσι βάλλομαι ἄρη* vocabulum *σφέτερος* pro *ἐμός* dictum est, quocum conferas Apoll. Rhod. Argon. IV, 1353: *μητέρι δὲ σφετέρῃ μενοεικέλι τίσαι ἀμοιβὴν ὄν ἔκαμιν*. Alterius significationis exemplum ex id. XXII, 67 petam: *πῶς διατεινόμενος σφετέρης κῆ φείδο τέρνῃς*, ubi pro *ὑμέτερος* positum est, cuius usus antiquissimum exemplum praebet Hesiod. Opera et dies 2: *Μούσα, δεῦτε, Δ' ἐντέτα, σφέτερον πετέρ' ὑμειόουσαι*, aliud Apoll. Rhod. Argon. IV, 1327: *Εὐτ' ἂν Ἀμφιτριτὴ ἄρη Ποσειδάωνος λῆσθ, δῆ ἢα τότε σφετέρῃ ἀπὸ μητέρι τίνοι' ἀμοιβήν*. Cf. Wolf, Prolegg. pag. 248 et Buttmaun, Lexil. Tom. I. pag. 52. Permultis denique locis pro *ἐός*, pron. poss. tertiae personae singularis numeri, usurpatnr, cuius rei unum exemplum etiam carmina bucolica (id. XII, 4: *ὅσον ὄξ σφετέρης λασιωτέῃ ἀρνός*) habent, plura reperiuntur id. XVII, 41: *ὠδὲ κε παιῶ θαροσῆσας σφετέροισιν ἐπιτρέποι οἶκον ἄπαντα κτλ.* et id. XXII, 209: *Μεσσήγιος Ἰῶσας μέλλε κασιγνήτοιο βαλεῖν σφετέροιο φονήα* = fratris sui interfectorie. Videantur praeterea Apoll. Rhod. Arg. I, 167: *παιδα δ' ἐόν σφετέροισι κασιγνήτοισιν ὄπασσαι*, Hesiod. Scut. Herc. 90: *ὅς προλιπόν σφετέρον τὸ δόμον σφετέρους τὸ τοκῆς ἄγχοι*, Pind. Olymp. IX, 78: *ἐξ οὗ Θετιώγητος οὐλίω νιν ἐν Ἀρεῖ παραγορεῖτο μήποτε σφετέρας ἄιτροθε ταξιοῦσθαί δαμασιμβρότου αἰμάς*, Pyth. IV, 83: *τῆρα δ' εὐθὺς ἰὼν σφετέρας ἐστάθῃ γνώμας*, Isthm. V, 33: *σφετέρας δ' οὐ φέισατο χερσὶν βαρυφθόγγου νευράς Ἑρακλῆς*, ibid. VII, 57: *ὅς δόμα Φεροσπρόνας μανύων Ἀχιλῆος, σφῶν Αἰλαιῶν, Ἀλίων σφετέρων τὸ ἔλξαν πρόφαινε*, Aesch. Pers. 900: *καὶ τὰς εὐπεινούς κατὰ κληρῶν Ἰαόνιον πολυάνδρους Ἑλλάνων ἐκράντε σφετέρας φρεσῶν*, Agam. 760: *τὸ δασαεβὺς γὰρ ἔργον μετὰ μὲν πλείονα τίκτει, σφετέρῃ δ' εὐκρίτα γέννην*.

Simili modo ipse Theoclydes lib. III, 95, 2; VII, 15; VII, 4, 3 et Polyb. V, 2, 4: *Κραθίντων δὲ τοῦτων ἤθροισε τὰς τὸν Ἀχαιῶν νῆας καὶ τὰς σφετέρας εἰς τὸ Ἀχαιοῖν*. Uno loco (id. XXV, 55) etiam *σφωίτερος*, pron. poss. secundae personae numeri dualis, pro *ἐός* a Theocrito positum est: *ὠδὲ γὰρ Λύγεις . . . . σφωίτέρῃ σὺν παιδί = suu cum filio, quod imitatus est Apoll. Rhod. Argon. II, 544: ὠς δ' ὅτε τις . . . σφωίτερος δ' ἐνόησε δόμονος κτλ.* Eadem quae apud *σφωίτερος* insolentia etiam in usu pronominis possessivi *σφῶν* cernitur, quod semel a Theocrito pro *ὑμῶν* usurpatum est id. XXII, 166: *σφῶν δ' ἄλλων (sc. γάμων) ἐπιφροσάμεθα πάντες*. Saepius *ἐός* pro *σός* occurrit, de qua re copiosius disputarunt Wolf, Prolegg. ad Hom. pag. 248 sq., Fischer ad Weller, Gram. II, 237 sq., Matthiae, Gr. §. 489. Quae huius rei apud Theocritum exstant exempla, omnia ad carmina epica pertinent <sup>16)</sup>.

<sup>16)</sup> Cf. id. XVII, 50: *ἀλλὰ μὴν . . . ἐστὼν κειθῆρας, ἐός δ' ἀπειλάσσω τιμῶς*, id. XXII, 173: *ἴσας μὲν καὶ ὀμμοῖας ἐός, κρατέρος Παλινδῶσας, χεῖρας ἰσφῶουσαι*, id. XXIV, 36: *ἄνοκτι, μηδὲ πῶδασσι ἐός ὑπὸ σπένδαλι θεῶς*.

nisi forte id. X, 2 vulgarem lectionem οὐτε τὸν ὄμιον ἄγειν ὀρθὸν δύνει in οὐδ' εἶν κτλ. commutare praeferas, quod librorum conphurium fide satis comprobatum Hermannus Fritzsche in textum nuper recepit.

Effluxisse hanc licentiam ex ipso Homero facile intelleges, si collatis Od. I, 402; IV, 192; II. XIX, 174; X, 398 multae ejusmodi jam ab Aristarcho mutata et correctae esse reputaveris. Cf. Buttman, Lex. I, pag. 90; Thiersch, §. 204, 205; Rost, Dialect 44, pag. 412; Kühner I, §. 332.

Alia denique Alexandrinorum sermonis imitatio in eo cernitur, ut nom. dual. part. locum pluralis obtineat, cf. id. XXII, 213: αὐτοὶ τε κρατεῖν τε κτλ. et id. XXV, 137: δεινὸν δ' ἔβρουζαντο θρόνον κεύσσαντε προσώπων, quod et ipsum ex Homeri imitatione depromptum esse loci docent: II. I, 567; V, 487. Adde Fr. Jacobs in Not. Crit. ad Anth. Palat. Tom. I, pag. 344, Matth. Gr. §. 300 Not., Krüger I et II, §. 63, 3.

Verum cum hac quam institutumus quaestione alia arte conjuncta est, quae quamquam vim magnam habet ad artem criticam excercendam, tamen ne fines suos disputatio haece transgrediat, brevier tantum attingi potest. Spectat ea hiatus, quorum cum in bucolicis et lyricis, tum in his epicis carminibus magna copia occurrit. In illis hiatus rariores ita plerumque a poeta admittuntur, ut propter digammatum vim auribus molestum sit, in his sunt frequentiores atque insolentiores, saepe Homerica tantum imitatione excusandi. Illius igitur generis exempla non offendimus legentes, veluti εὐ εἰπόντα (id. XVI, 13), εὐ ἔρξαι (id. XVI, 25), φίλα εἰώδαι (id. XVII, 18), ἄω ἴδοιτε (id. XXIV, 9), χαιρε, ἀναξ (id. XVII, 135; XXV, 150), de qua re videatur Hoffmann, Quaestt. ep. pag. 89; duriora inter alia haec reperimur: ἀλλὰ διεξάξει (sc. ἡ Ἀργώ), βαθύν δ' εἰσέδραμα Φάσιν, αἰετὸς ὡς μέγα καιτμα' ἀφ' ὃ τότε χοιράδες ἔσταν (id. XIII, 23—24), εἰπέ θεά, σὺ γὰρ σίσθαν' ἐγὼ δ' ἐτέρων ὑποσφίτης (id. XXII, 116) 17), Ἀργείοι ἐπὶ παιδί (id. XIII, 49), ἐπὶ κειροῦ Ἀχέροντος (id. XVI, 31), ῥίξας ἡ Ἀμιλῆς (id. XVI, 74), χρομακά Ἀγυπτος (id. XVII, 79), ὑπὸ ζαθίῳ Ἐλικῶνι (id. XXV, 209), quibus praeterea comparantur id. XVI, 84; id. XVII, 38, 104, 114; id. XXII, 26, 39; id. XXIV, 27, 90, 116, 141; id. XXV, 36, 71, 267 18).

Sed de hac re verbosior esse nolo, quoniam ut facile permulta exempla afferre possim, ita accuratissima disputatione opus esse credo, ut res in omnes partes absolvatur. Multa praeterea docent, Theocritus quanta cum fide in his epicis carminibus Homerum imitatus sit. Nam in carminibus bucolicis cum rarissime breves syllabae metri causa producantur (id. I, 115; id. III, 12), in his epicis summa licentia inest eademque quae apud Homerum invenitur. Omnia autem enumerare cum longum videatur, eligo haec, id. XXII, 19: αἴψα δ' ἀπολήγοντ' ἄνεμοι, λιπαρὰ δὲ γαλήνη κτλ., id. XXIV, 42: δαιδάλειον δ' ὄμμαος μετὰ ξίφους, ὃ οἱ ὑπεσθην κτλ., id. XXV, 10: αἰ δ' ἔβρον θείοιο παρὰ θρόν' Ἀλφειοῖο κτλ., id. XXV, 12: χωρὶς δὲ σρηοῖ, ibid. 73: τοὺς μὲν ὄγε λάσσαι, ibid. 138: σθένει φῶ, ibid. 246: πάντοθεν εἰληθέντος ὑπὸ λογόνος τε καὶ ἔξιν, quibuscum conferas quae ex Homero congresserunt Hoffmann, Quaestt. Hom. I, pag. 132, Hermann, Orph. pag. 706.

Jam omissis ipsis dictionibus, quae permultae ex Homeri carminibus desumptae sunt veluti id. XVI, 6, 84; id. XXII, 42, 118; id. XXV, 2, 37, 228, duas alias res commemorare mihi liceat, quae quamquam semel fere obviam fiunt, tamen qualem Homeri aemulationem poeta exercevit, manifestissime docent. Unum exemplum exstat id. XXV, 76 sq., ubi haec leguntur: χαιρών ἐν φρεσὶν ἦσαν, ὀδοῦνεκεν εὐλιν ἔνεστο αὐτοῦ γ' οὐ παρεύντος' ἔπος δ' ὄγε τοῖον ἔειπεν. In his versibus pronomine ὄγε subjectum antecedens repetitur, quamvis tali iteratione opus omnino non sit. Eandem explicationem habet id. XVII, 126. In hoc usu Homerum praevisse constat, cf. Ilias II, 664: αἴψα δὲ νῆας ἔπηξε, πολὺν

17) Cf. Hom. II. V, 898; Spitzner, de versu Gr. her. pag. 143.

18) Cf. Hom. Od. II, 17: αἰ' ἀνέσθω Ὀδοῦς, ibid. 259: δεινὸν Ὀδοῦς, Od. III, 300: Λιγυτίω ἐπιλαοῦεν, Ilias II, 111: ἄλλ' ἄλως βασιλεῖ, IV, 531: τῷ ὄγε, V, 153: ἀμφὸς ἐληγέρωσ' ὃ δὲ κτλ., XI, 616: ἦλιν ἐπὶ κειθ' ἵταλως, XIV, 126: τῷ ὄγε αἰ με γένος, XIV, 350: τῷ ἐνὶ λείβεσθι, XV, 142: θρόνον ἔν, XVII, 106: χρομακὴ ἄμυτῃ.

δ' ὄγε λαὸν ἀγέρας κτλ. Alde II. I. 65; Od. I. 4; III. 227. Etiam vocabulum ἀμός id. XXII. 69: οὐ γύναις ἀμός κεκλήσεθ' ὁ πύκτης = οὐ γύναις τις<sup>19)</sup>, quod primus pro ἰών Hauptius restituit. putandum est poetam ex Homeri imitatione deponuisse<sup>20)</sup>.

Tertium quod carminum Theocriteorum genus constituimus. carmina lyrica comprehendit. idyllia XII, XVIII, XXVIII, XXIX. quorum id. XII et XVIII versibus hexametris scripta sunt, id. XXVIII et XXIX numeros Alcaeiōis servant. In id. XII regnat dialectus ionica, id. XVIII Ἐλένης ἐπιθαλάμιοις, quoniam a virginibus Lacedaemoniis cantatur. dialectum doricam molliorem habet, de qua videantur quae jam supra disputavimus. Id. XXVIII, suavissimum carmen in commendationem colli eburneae, quam poeta Miletum profecturus Theogenidi Niciae amici conjugii donum destinavit, scriptum, et id. XXIX, quod inscribitur παιδικά, cum omni genere ad Alcaei Sapphusque exempla composita sint, dialectum aelionicum habent nec tamen eam, quae in Alcaei veterumque lyricorum reliquiis deprehenditur. Nam doricam dialectum tanquam fundamentum subest, ut eam a poeta prudenter tantum temperatam lyricoque argumento et metro accomodatam esse vere contenderis.

De epigrammatis, quorum multa pro suppositiciis habenda sunt, nil posse universe admoneri, ipsa varietas argumentorum docet. quorum explanatio non modo molestissima est, sed etiam ad id quod nobis propositum nihil pertinet. Est autem in iis maximam partem doricam dialectum mollior, excepto eo quod in Epicharmum scriptum est (ep. XVII), in quo consulto severioris Dorismi formae servatae sunt.

Absolvi tandem de carminum Theocriteorum generibus attingens tantum, quae in summa rerum abundantia maxime mentione digna videbantur. Jam de loco quodam difficiliore idyllii XVIII brevier dicendum est. Sunt enim multa adhuc in hoc carmine, de quibus diversissime a viris doctissimis iudicatur. Inter omnia autem, quae in dubitationem vocantur, summis versus 26 et 27 interpretum studiis agitatae esse video. Versus hi in codd. sic leguntur:

Ἄως ἀνέλλοισα καλὸν δῖφρανε πρόσωπον  
πόντια νῶξ ἄτε λευκὸν ἕαρ χειμῶνος ἀνέντος\*

Haec verba vitium traxisse, nemo est quin sponte intellegat. Genuinam autem poetae manum restituere propterea hoc loco difficillimum est, quod omnes libri in scribendis his duobus versibus ita consentiunt, ut inde medicina expectari non possit. Itaque mutatione opus est, quamquam hoc omnino teneas velim, iudicium de restituenda vera lectione in paucis scriptoribus adeo esse incertum quam in Theocrito. Certa via autem ac ratione si progredi velimus, totius loci sententia paucis expromenda est. Cantant enim duodecim nobilissimae Lacedaemoniorum civitatis puellae ante Menelai et Helenae thalamum carmen nuptiale, in quo postquam pauca de impatientia sponsi luserunt, beatum eum praedicant, quod jam conjugio illo ipsi Jovi affinitate junctus sit, tum ad laudes Helenae celebrandas transeunt. Comparatur autem Helena cum reliquis puellis Spartanorum, quarum nullam, si illi comparantur, vitio carere poeta ait (τῶν οὐδ' ἄν τις ἄμωμος, ἐπεὶ ἔ' Ἐλένη παρισωθῆ). Quanta autem sit reginae pulchritudo ut explicetur, comparationes aliquot sequuntur, ex quibus quae v. 26 et 27 leguntur, ad faciem magis spectare crediderim, contra quae v. 29 et 30 continentur comparationes, ad gracilem proceramque corporis staturam laudandam pertinent, nam sicuti magna eypressus arvom aut hortum ornans eminet, aut Thessalus equus ornans currum, sic etiam Helena Lacedaemoni decus eminet (πισίον μεγάλα ἄε ἀνίδραμαί κόσους ἀρούρη ἢ κάπρω κυπάρισσος ἢ ἄρματι Θεσσαλὸς ἵππος, ὄδε κτλ.). Duae autem comparationes versibus 26 et 27 contineri arbitror, ea potissimum ratione ductus, quod etiam versus 29 et 30 complures comparationes exhibent. Quod si pro recto statuas, Helena comparatur cum aurora et vere ob oris venustatem, cum epresso ob corporis gracilitatem, cum equo Thessalo ob currendi celeritatem. Sensus

<sup>19)</sup> Cf. Schol. Odys. I. 10. Haupt, Rhein. Mus. 1845, IV, pag. 277.

<sup>20)</sup> Cf. Odys. I. 10: τῶν ἀμόθεν γε κτλ.

igitur versuum 26 et 27 hic videtur esse: Quemadmodum aurora oriens os pulchrum effert, quemadmodum ver nitidum splendet hieme soluta, sic etiam Helena elucebat inter nos. Id igitur spectantes, corruptelam ut detegerent multa viri doctissimi conati sunt, quorum emendationes qui pernoscere velint, evolvant Theocriti editiones a Kiessling et ab Joh. Aug. Jacobsio curatas, et quae praeterea de his versibus congressit Joh. Gottl. Zetzsche: Quaest. Theocrit. particula tertia, qua agitur de id. XVIII, 26 sqq. Altenb. 1851. Non est hujus loci, omnia ea conamina accuratius perquirere, ex multis pauca afferam. Omnium autem, quotquot in lucem adhuc prodierunt, Eldickii medela magno opere probatur proponentis haec: *Ἄως ἀντέλλουσα καλὸν αἶψ' ἔφαινε πρόσωπον πότνια νύξ, ἅτε λευκὸν κτλ.* = quemadmodum alma aurora oriens pulchram faciem ostendit nocti, quemadmodum ver nitidum hieme soluta, sic etc. Nec Koehleri emendationem displicuisse video:

*Πότνια νύξ, ἅτε, λευκὸν ἔαθ χειμῶνος ἀνέντος,  
Ἄως ἀντέλλουσα καλὸν τοι ἔφαινε πρόσωπον κτλ.*

Hanc emendationem Brunckius „tanquam elegantissimam et procul dubio verissimam“ in textum admisit. Eandem probarunt Harlesius, Siebdratus, J. H. et H. Vossii. Omissis autem aliis, quae in hac lectione offensivis aliquid habere videantur, rectissime Eichstadius monuit in Quaest. philol. spec. pag. 13. causam nullam apparere, quare „puellae in comparatione simpliciter in omnes partes instituta confestim ad noctem sese converterint eamque per apostrophen quandam appellarint“. Rectius igitur Toupius, qui locum sic corrigendum esse censuit: *Πότνια νύξ ἅτε, λευκὸν ἔαθ χειμῶνος ἀνέντος, Ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον, ὡς κτλ.* Aliam viam ingressus est Heinrichius, qui auctoritate ductus cod. Vaticani sublato vocabulo *Ἄως* particulam *ὡς* substituit. Legendum igitur jubet: *ὡς ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον πότνια Νύξ, ἅτε λευκὸν κτλ.* Hanc rationem cum multi alii tum Dahlius secutus est, qui lectionem Heinrichianam iisdem verbis in textum recepit. In his verbis Nox pro Luna accipienda est: versus igitur sic a viris illis doctissimis explicantur: Quemadmodum alma Luna oriens os pulchrum effert, et quemadmodum ver nitidum hieme soluta, sic etc. Pulcherrimum sane nec indignum Theocrito, si noctem pro Luna a Graecis usurpatam esse exemplis demonstrari posset. At docuit Eichstadius in Quaest. phil. spec. cap. 2, falsum esse *Νύκτα* a Graecis pro *Σελήνῃ* dici. Itaque cum vocabulum *Ἄως* omnino non removendum videretur, Eldickii nutum secutus unius litterae immutatione Eichstadius locum ita emendavit: *Ἄως ἀντέλλουσα καλὸν αἶψ' ἔφαινε πρόσωπον, πότνι' ἄναξ, ἅτε κτλ.* Sic vocabulum *ἄναξ* ad *Ἄως ἀντέλλουσα* referendum dictum est pro *ἔνασσα*, de quo loquendi usi videndus Mitscherlich in Not. ad Hom. Hym. in Cererem v. 58, qui *ἄναξ* in iis esse verbis ostendit, quae veteres poetae de utroque genere adhibuerunt. Negavit hoc Pgenius ad Hom. Hym. pag. 517 sqq., affirmat cum Eichstadio Hermannus, de metris Pind. pag. 303. Sed hoc utut est, negari non potest, auroram insolenter reginam a poeta appellari. Quod Reisigius cum nuper intellegeret, in Comment. crit. ad Soph. Oed. Col. pag. 388 Eichstadium verba corrupta recte quidem emendasse, sed falso explicasse opinatus est. Helenam enim ipsam venerandam reginam esse; verba igitur *πότνι' ἄναξ* vocativi, non appositionis locum tenere. Sed etiam hanc explicandi rationem falsam esse iudico.

Inter recentiores, qui in corrigendo hoc loco magnam operam navarunt, prae aliis nominandi sunt Hermannus et Ahrensius, quorum ille versus sic emendat: *πότνι' αἶψ' ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον Ἄως ἢ ἅτε λευκὸν κτλ.*, hic tali modo locum refigendum esse putat: *Ἄως ἀντέλλουσα καλὸν διέφαινε πρόσωπον, πότνια νυκτὶ σελήνα, ἔαθ χειμῶνος ἀνέντος ὡς κτλ.* Hermannii emendationem, quae reliquas omnes probabilitate sua longe superat, libenter in textum admitterem, nisi verbum *διαφαίνειν* in versu priore animum offenderet; aurora enim non per noctem conspicua est, ut Helena inter aequales. Ahrensi autem conjectura audacior est quam quam recipienda videatur. Ipse igitur has virorum doctorum emendationes cum iterum iterumque pertractarem, in nullo omnium conaminum recte acquiesci posse persuasum mihi habui. In priore versu verbum *διαφαίνειν* ferri non posse, primus recte Eldickius vidit,

in hoc tamen a viri summi sententia discedo, ut scribendum potius esse censeam *ἄτ' ἔφανε* pro *ἄτ' ἔφαινε*, quod aoristum postulat et res ipsa et quae sequitur comparatio *πειρὸς μεγάλα ἄτ' ἀνδραγε κόσμος ἀρούρης*, ubi *ἀνδραγε* optimis libris Mss. satis defenditur. Quomodo autem accidere potuerit. ut *ἄτ' ἔφανε* in *διέφαινε* corrumpetur, luce clarius est. Versum igitur priorem scribendum esse *Ἄως ἀντίλλοισα καλὸν ἄτ' ἔφανε πρόσωπον* recte contendere mihi videor. Ultimam syllabam vocabuli *καλὸν* hoc loco productam esse, nihil est quod nos possit offendere; cf. Theocr. XXV, 203: *ναῖον ἀτιλήτα*, ibid. 50: *θεὸς ἐπιδευέα*, III, 12: *ἰμὸν ἄχος*. Hic usus ex Homero desumptus videtur esse, qui libenter vocabula in — os et — on, quae versum pyrrichium officunt, si in quarta arsi collocentur, metri causa producit: cf. Spitzner, de versu Gr. her. pag. 62. *Καλὸς* autem syllabam priorem apud Theocritum ubivis corruptam habet, cf. III, 18 *τὸ καλὸν ποθορεῦσα*, V, 135 *καλὸν τι φιλεῖν*, XV, 73 *ἐν καλῷ εἶναι*, II, 11 *φαίνε καλὸν* etc. Regulam hanc non labefactat id. XV, 62 *καλλίστα παίδων* prima syllaba producta, nam hoc consulto a poeta factum esse ex litt. λ geminata facile cognoveris.

Plus operae et difficultatis versus secundus offert, qui in omnibus codd. eodem modo depravatus exstat. Legitur autem sic: *πότνια νύξ ἄτε λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος*. Verba ultima *λευκὸν κτλ.* incorrupta nobis tradita esse cum putandum sit, omnis causa in corrigenda priore parte cernitur. Ac jam supra demonstravimus, duas comparationes versibus 26 et 27 contineri, quarum alteram v. 27 amplectatur. Certissimum est, in hoc versu Helenae pulchritudinem eum vere ineunte comparari. Poetam igitur haec exprimere voluisse puto: Quemadmodum ver nitidum os pulchrum effert, sic etiam Helena elucebat inter nos. Hanc comparationem cum priore particula *ἢ* a Theocrito conjunctam esse verba proxima declarant: *πειρὸς μεγάλα ἄτ' ἀνδραγε κόσμος ἀρούρης ἢ κάπρω κυπάρισσος ἢ ἄρματι Θεσσαλὸς ἕππος*. — *Ἄτε* igitur quamquam omnibus libris Mss. traditur, tamen pro genuina lectione haberi non potest. Accessimus jam ad initium versus, de quo quid statuendum esset viri doctissimi diversissime judicaverunt. Omnia autem eorum conamina propterea potissimum a recto aberrasse puto, quod vocabulum *νύξ* e texto removendum esse praeter Hermannum et Meineckium nemo intellexit. Ferri autem omnino non potest, si adjectivum *πότνια* servatur, quod retinendum esse cum multis aliis causis probabile fit, tum quod aptissime ad *Ἄως* refertur. Ac verba secundi versus jam mature depravata fuisse cum credendum sit, facile fieri potuit, ut propter vocabulum antecedens *Ἄως* falso *Νύξ* a grammaticis reciperetur. Quae cum ita sint, cum *Νύξ* per vitium in textum irrepsisse videatur, aliud quoddam exquirendum est, quod et scripturae codicum respondeat nec loci sententia indignum videatur. Hoc vocabulum pronomen poss. *ἰὸν* fuisse suspicor, ductus ad talem opinionem hae potissimum ratione. *Ἐὸν* enim si scripsisse poetam arbitramur, corruptelam verba unde traxisse videantur, plane cognoscitur. Nam *ἰὸν* in *ἄτε* facillime depravari potuisse nemo est, quin ex templo collatis litteris intellegat. Id eo magis fieri potuit, quod etiam in priore versu particulam *ἄτε* scriptam fuisse a poeta supra brevi exposuimus. Hoc modo apertum etiam fit, quomodo particula *ἢ* excidere potuerit. Lacunam autem hoc modo ortam ut resarcirent, *νύξ* a grammaticis propter *Ἄως* ni fallor in verbis antecedentibus inserebatur. Pro *πότνια* denique metri causa *πότνια* scribendum est, cujus formae exemplum id. II, 69: *φράξέ μευ τὸν ἔρωθ' ὄθεν ἴκετο, πότνια Σελάνια* praebet. Singula igitur si colligimus, versus sic emendandos esse censeo:

*Ἄως ἀντίλλοισα καλὸν ἄτ' ἔφανε πρόσωπον*  
*Πότνια ἰὸν ἢ λευκὸν ἔαρ χειμῶνος ἀνέντος.*

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 048 211 6





LIBRARY OF CONGRESS



0 003 048 211 6